
Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 3 de julio de 2004

Denegación de lo pedido en el recurso ante
el Colegio de Jueces contra la inadmisión
por el Congreso del anterior recurso y confirmación
de su rechazo por carencia manifiesta de fundamento

Prot. N. 29828-B/99 CA

N

Remissionis in statu quiescentiae

(Rev.dus X – Congregatio pro Clericis)

RECURSUS AD COLLEGIUM EM.MORUM ET EXC.MORUM H.S.T. IUDICUM ADVERSUS DECRETUM REIECTIONIS IN CONGRESSU D. 13 IUNII 2003 LATUM

IN NOMINE DOMINI. AMEN

Ioannis Pauli PP. II anno Summi
Pontificatus XXVI, die 3 iulii 2004

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

videntibus Em.mis ac Rev.mis D.nis
Antonio Maria Card. Rouco Varela,
Eduardo Michaële Card. Egan, Petro
Card. Erdő, Augustino Card. Cacciavi-
llan, Iuliano Card. Herranz, atque Exc.

Cómo citar este artículo: *Supremo Tribunal de la Signatura Apostólica. Decreto sobre colocación en situación de inactividad, de 3 de julio de 2004*, Ius Canonicum 66 (2026) 323-332. <https://doi.org/10.15581/016.131.014>

mis ac Rev.mis D.nis Augustino Vallini, *Praefecto*, Eduardo Davino, Henrico Mussinghoff, *Ponente*, Francisco Cocopalmerio et Thoma Georgio Doran, intervenientibus Cl.ma M. Wegan utpote Patrona Rev.di X, Rev.do N. Schöch tamquam Patrono Congregationis pro Clericis Exc.mique Episcopi N, et Rev.mo F. Daneels, o.praem., Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hoc tulit

DECRETUM DEFINITIVUM

I. FACTI SPECIES

1. Rev.dus X, natus die 22 augusti 1961, die 27 iunii 1987 ordinationem sacerdotalem recepit pro Administratione Apostolica N, quae dein in dioecesim erecta est. Ipse die 25 martii 1993 parochus nominatus est parvae paroeciae Y in loco Z, sed Exc.mus Episcopus N eum decreto die 25 septembris 1998 lato ab illa paroecia ad officium pastoris animarum seu M in L, seu “Seelsorger” in den Pfarrkuratien O, P und Q ad adiuvandum ibi Parochum vel melius Administratorem Rev.dum R transtulit. Recursu hierarchico die 8 ianuarii 1999 a Congregatione pro Clericis reiecto, causa translationis dein coram H.S.T. perempta est.

2. Decreto diei 16 februarii 1999 Exc.mus Episcopus N Rev.dum X amovit ab officio ad quod ipse nuper translatus erat et eum insuper usque ad revocationem amovit seu solvit a quocumque officio cum cura animarum exercendo in tota dioecesi: «Hiermit entpflichte ich Herrn Pfarrer X ... von seinen Aufgaben in den Pfarrkuratien... und beurlaube ihn bis auf Widerruf vom seelsorglichen Dienst im Bistum N». Consequenter Vicarius Generalis N

Rev.dum X certiozem fecit ei deinde tamquam sustentationem datum iri tres quartas partes stipendii usque tunc recepti. Dicta amotio ab officio *ad quod* Rev.do X valde placuit, quia exspectavit redditum in pristinum munus parochi paroeciae loco “M”. Non autem placuit solutio a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi exercendo.

Rev.dus X emendationem decreti diei 16 februarii 1999 expetivit, quam vero Exc.mus Episcopus N brevi epistola diei 1 martii 1999 reiecit. Rev.dus X dein iterum ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae autem hunc alterum recursum die 9 aprilis 1999 in limine reiecit, quam adversus decisionem sacerdos die 20 maii 1999 ad H.S.T. recurrit. Congregatio pro Clericis autem die 13 novembris 2001 novam hac in re decisionem tulit, qua attempta, Iudices H.S.T. die 15 decembris 2001 decreverunt non amplius disceptandum esse de recursu adversus decisionem diei 9 aprilis 1999, salvo tamen «iure Recurrentis agendi, si et quatenus, adversus Decretum Congregationis pro Clericis diei 13 novembris a. 2001».

3. Rev.dus X recursu die 26 (28) novembris eiusdem anni, quem eius Patrona die 28 decembris 2001 exhibuit, adversus novissimum decretum Congregationis pro Clericis ad H.S.T. provocavit. Sed Congressus H.S.T. die 13 iunii 2003 decrevit: «Recursum, de quo in casu, ad disputationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus non esse admittendum et facto non admitti, utpote manifeste carentem quocumque fundamento».

Quod adversus Decretum, die 14 iulii 2003 notificatum, Rev.dus X statim recursum ad Em.mos et Exc.mos H.S.T. Iudices proposuit et eius Cl.ma Patrona motiva recursus die 2 augusti 2003 prae-buit. Responsione a Rev.mo Patrono pro Auctoritate ecclesiastica die 7 octobris eiusdem anni data, Rev.mus Promotor Iustitiae votum definitivum pro rei veritate die 1 aprilis 2004 porrexerat.

Infrascripti Iudices H.S.T. nunc huic respondere debent dubio: «An re-formandum sit decretum in Congressu H.S.T. diei 13 iunii 2003 latum, quo recursus ad disceptationem non admittebatur, utpote manifeste carens fundamento».

II. IN IURE ET IN FACTO

4. Repetendum est Rev.dum X amotionem ab officio, ad quod translatus erat, tempore opportuno haudquaquam impugnavisse. Proinde videndum est solummodo de eius solutione “usque ad revocationem” a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi N explendo, licet ipse institisset ut sibi denuo pristinum vel saltem aliud officium cum cura animarum committeretur.

5. Confirmamus in primis has explanationes decreti Congressus:

In can. 274 agitur de clericorum habilitate ad officium obtinendum, ad cuius «exercitium requiritur potestas ordinis aut potestas regiminis ecclesiastica», necnon de eorum obligatione ad officium sibi legitime commissum suscipiendum et fideliter adimplendum, sed in eodem capite de clericorum obligationibus et iuribus (cann. 273-289) de eorum

iure, ut ipsi aliquod officium, de qua in can. 145 § 1, reapse obtineant, non fit mentio.

Requiritur utique ad normam can. 1025 § 2 ad licite ordines presbyteratus vel diaconatus conferendos ut candidatus, iudicio eiusdem legitimi Superioris, ad Ecclesiae ministerium utilis habeatur. In casu excardinationis vel incardinationis secundum can. 269, n. 1, Episcopus dioecesanus debet iudicare num utilitas suae ecclesiae particularis id exigat. Quam ob rem per se quaedam presbyteri vel diaconi idoneitas ad ordinem sacrum receptum utiliter pro bono Ecclesiae exercendum praesumenda est. Sed experientia docet quendam clericum nihilominus interdum de facto non esse idoneum ad officium cum cura animarum utiliter exercendum. Utcumque, orto dubio de clerici idoneitate ad officium cum cura animarum adimplendum, ad Ordinarium pertinet de re videre, antequam ei aliquod eiusmodi officium conferat, cauto tamen ne clericus sine proportionata ratione cum detrimento populi Dei absque eiusmodi officio maneat. Quod si clericus, amotione ab officio non impugnata, ab Ordinario suo non idoneus ad officium cum cura animarum adimplendum censeatur, nulla proinde habetur violatio legis, eo quod Ordinarius ei novum eiusmodi officium non confert, sed eum a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi explendo solvit, nisi forte iudicium Ordinarii in re prorsus arbitrarium demonstraretur.

Re vera, Exc.mus Episcopus N Rev. dum X non idoneum habuit ad officium cum cura animarum in dioecesi adimplendum ideoque eum “usque ad revocationem” ab eiusmodi officio explendo solvit.

6. Argumentum contrarium Rev.di Recurrentis eiusque Cl.mae Patronae,

qui contendunt translationem paulo antea impositam praesupponere eum paroeciam *a qua* utiliter rexisse (cfr. can. 1748), nullius est momenti. Nam causa translationis coram H.S.T. pre-rempta, illa translatio non amplius impugnari potest ideoque firma evasit, sed id haudquaquam significat in iure constare de praesuppositis ipsius translationis (cfr. cann. 36 § 2 et 52).

7. Iudicium Exc.mi Episcopi de inidoneitate Rev.di X ad officium cum cura animarum adimplendum non solum, actis causae perscrutatis, fundatum apparet, verum etiam ex ipsius Recurrentis longis litteris haud infirmatur. Ipse enim in recursu diei 12 martii 1999 ad Congregationem pro Clericis asseruit sese non habere tensiones insuperabiles cum 61 ex 69 presbyteris dioecesi N incardinatis (sed ideo utique cum 8), difficultates cum quibusdam laicis ortas esse, cum ipse iustitiam defenderet, atque tantum minimam seu ad summum quintam partem fidelium in paroecia *a qua* graves tensiones cum ipso habuisset.

Rev.dus Patronus Auctoritatis ecclesiasticae ad rem haec refert: Rev.dus X iam solum anno post ordinationem sacerdotalem ab Exc.mo Episcopo T scripte et severe monitus est. Ob innumerabiles difficultates antea excitatas iam in paroecia tantummodo 300 catholicos complectente collocatus, nihil fecit per quattuor annos ad reconciliationem seu pacificam solutionem obtinendam, sed perlongas litteras Episcopo et curiae misit (15 in actis adsunt sat longae). Numquam minimum errorem ex parte sua admittens vel sese excusans, omnes

culpas sic et simpliciter Episcopo et confratribus in sacerdotio tribuit.

8. Rev.dus Recurrens eiusque Cl. ma Patrona asserunt Praesulem N praescriptum can. 50 et consequenter ius defensionis violasse.

Ipse Recurrens, vero, iterum iterumque colloquia cum Episcopo immediate antea rescidit (litteris dierum 9 iulii 1998, 25 septembris 1998, 16 octobris 1998). Absque ulla urbanitate sese erga Episcopum gessit: «Unser Gespräch, das wir für Donnerstag, d. 9. Juli 1998, um 10.00 Uhr ausgemacht hatten, haben Sie 40 min. zuvor per Fax abgesagt. Diese Art und Weise entbehrt jeder Höflichkeit» (ita Episcopus ad recurrentem die 10 iulii 1998).

Die 22 octobris 1998 per horam et dimidiam colloquium peregit cum Episcopo, qui ad rem adnotavit: «Er erklärte sich unter Gehorsam bereit, das Versetzungsdekret zu befolgen, erwartete aber vom Bischof eine Begründung für die Abberufung aus M.... Der Bischof wies darauf hin, dass X vor allem sich nicht in der Lage gezeigt hätte, den Frieden unter den Gemeindemitgliedern zu bewahren, stattdessen habe er die Gemeinde in extremer Weise polarisiert». Exc.mus autem Episcopus se paratum habuit ad aliud colloquium cum Rev.do X ducendum (cfr. adnotationem Episcopi diei 23 octobris 1998), quod reapse pro die 10 februarii 1999 indicavit. Merito ergo decretum Congregationis pro Clericis adnotat cann. 50 et 1733 § 1 servatos esse, quia Recurrens colloquium cum Episcopo quinque dies ante exarationem decreti nempe die 11 februarii 1999 habuit. Ergo non valet argumentum ipsum prius ab Episcopo suo auditum non fuisse.

9. Etiam argumenta a Cl.ma Rev.di Recurrentis Patrona prolata non valent. Decretum Congressus id bene demonstrat, etenim:

–Nulla habetur norma iuridica quae Exc.mum Episcopum vetuit Rev.di X amotionem et remissionem in statu quiescentiae decernere antequam causa translationis definitive clauderetur.

–Non probatur confusio ex parte Congregationis pro Clericis inter causas motivas pro Rev.di X amotione ab officio *ad quod* et eius solutionem “usque ad revocationem” a quocumque officio cum cura animarum in dioecesi exercendo; ex quadam, ceterum, forte imperfecta redactione alicuius rationis motivae pro decisione administrativa nondum sequitur ipsam decisionem esse erroneam.

–Epistolae, ad quas Congregatio pro Clericis in impugnato decreto insuper remittit, Rev.di X defectum idoneitatis ad officium cum cura animarum adimplendum confirmabant, quia in eis agebatur de perlongis colloquiis telephonicis ab ipso de novo officio mox adeundo habitis, de eius sermone adversus Episcopum et parochum occasione ingressus in illo novo officio, necnon de incipiente dissensione in illis paroeciis *ad quas* (ita Rev.dus R die 2 novembris 1998: «Daß er von seinem Amt in M entbunden ist und sich keiner Schuld bewußt ist ... Daß der Bischof nicht mit ihm spricht Daß er nicht oder 50 min. zu spät zur Gräbersegnung erschienen ist»).

10. De strictiore interpretatione decreti, ab Exc.mo Episcopo die 16 februarii 1999 lati, postea a Curia N facta, agere non debemus, quia decretum

Congregationis pro Clericis de hoc facto non egit.

11. Quod ad sustentationem attinet, re quidem vera Clericus, cum ministerio ecclesiastico se dedicat, utique iure gaudet ad congruam remunerationem, ad normam can. 281 § 1; amotus vero ab officio, per decretum Auctoritatis competentis, tantum ut ipsius subsistentiae per congruum tempus prospiciatur ad normam can. 195, cauto tamen semper ne iis quae ad honestam sustentationem sunt necessaria ipse careat (cfr. cann. 269, n.1, et 384, necnon, debitis distinctionibus servatis, can. 1350 § 1).

In normis pro Administratione Apostolica N anno 1991 emanatis habetur § 9, iuxta quam congrua subsistentia, omnibus perpensis iuxta casum concretum determinanda, praebetur presbytero qui ad tempus seu “usque ad revocationem” solutus est (“beurlaubt”) ab officio in dioecesi exercendo, ea tamen mente ut ipse recepturus sit ea quae ad honestam sustentationem necessaria sunt. Iuxta normam, ceterum, in omnibus dioecesibus W vigentem, etiam presbyteri emeriti, ad aliquod officium ecclesiasticum exercendum quod attinet, tres quartas partes recipiunt stipendii antea recepti. Ex quo patet Rev.dum Recurrentem inepte impugnare sustentationem reductam ad tres quartas partes stipendii antea recepti.

12. Rev.dus X conqueritur etiam de diffamatione, cum ipse in s.d. *Schema-tismus für das Bistum N* exhibeatur tamquam parochus extra servitium seu “Pfarrer a.D.”. Sed illa inscriptio veritati respondet et haudquaquam ad rem legis probatur violatio.

III. CONCLUSIO

13. Omnibus sive in iure sive in facto aequae rimatis, Collegium Em. morum atque Exc. morum Patrum pro Tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, dubio proposito respondendum censuit uti respondet:

Negative, seu non esse reformatum decretum in Congressu H.S.T. diei 13 iunii 2003 latum, quo recursus ad disputationem non admittebatur, utpote manifeste carens fundamento.

Summa a Recurrente apud arcam Signaturae Apostolicae deposita retineatur pro expensis huius Supremi Tribunalis. Partes vero suo quaeque Patrono congruum solvant honorarium.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrium Decretum Definitivum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 3 iulii 2004.

+ Augustinus Vallini, *Praefectus*
Antonius Maria Card. ROUCO VARELA
Eduardus Michaël Card. EGAN
Petrus Card. ERDŐ
Augustinus Card. CACCIAVILLAN
Iulianus Card. HERRANZ
+ Eduardus DAVINO
+ Henricus MUSSINGHOFF, *Ponens*
+ Franciscus COCCOPALMERIO
+ Thomas Georgius DORAN

Die 16 decembris 2004

Notificetur.

+ Velasius De Paolis, *Secretarius*
Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Moderator*
Cancellariae